Caesar, Gaius Iulius; Glareanus, Henricus Loriti [Oth.]: C. Ivlii Caesaris Commentarii
Friburgi Brisgoiae, 1546 Seite 59



34 Eodem tempore à P. Crasso, quem cum legione unà miserat ad Venetos, Vnellos, Osismos, Curiosolitas, Sesuuios, Aulercos, Rhodōnes, quæ sunt maritimæ ciuitates, Oceanumq; attingunt, certior factus est, omnes eas ciuitates in deditionem, potestatemq; populi Ro. esse redactas. P. Crasso ciuitates maritimę se dedunt.

35 His rebus gestis, omni Galliâ pacatâ, tanta huius belli ad barbaros opinio perlata est, uti ab his nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Cæsarem, quæ se obsides daturas, imperata facturas, pollicerentur. Quas legiones Cæsar, quod in Italiam, Illyricumq; properabat, inita proxima æstate, ad se reuerti iussit. Ipse in Carnutes, Andes, Turones, quæ ciuitates propinquæ his locis erant, ubi bellum gesserat, legionibus in hyberna deductis, in Italiam profectus est. Ob easq; res ex literis Cæsaris dies XV. supplicatio decreta est. Quod ante id tempus acciderat nulli.

Vid. infr. Glareani annotationes pag. 44.–46.

# C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER TERTIUS.

1. CVM in Italiam proficisceretur Cæsar, Seruium Galbam cum Legione duodecimâ, & parte equitatûs in Antuates, Veragros, Sedunosq; misit: qui à finibus Allobrogum & lacu Lemāno, & flumine Rhodanô Seruius Gal.

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/caesar1546/0094